

I. N. Z. C.

DISSE²⁸RATI^O ACADEMICA,
EXPLICATURA QUÆSTIONEM:

CELSA-NE, AN
HUMILIS SORS
MELIOR?

CUJUS PARTEM POSTERIOREM,
CONSENS. AMPL. FAC. PHIL. IN REG. ACAD. AB.

SUB PRÆSIDIO

MAG. JOHANNIS
BILMARK,

HISTOR. & PHIL. PRACT. PROFESSORIS REG. & ORDIN.
nec non Academiæ h. t. RECTORIS Magnifici,

Publice ventilandam s̄tit pro Gradu

JOHANNES AVOLIN,

Borea-Finlandus.

IN AUD. MAJORI DIE XV JUNII AN. R. S. MDCCCLXXVIII.
H. A. M. C.

ABOÆ

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL,
Reg. Acad. Typogr.

VIRO

AMPLISSIMO ATQUE CELEBERRIMO,

D:NO MAG. JOHANNI
KRAFTMAN,

Mathefeos PROFESSORI Extraordinario,

Regii Ordinis de WASA EQUITI,

Reg. Academ. Scientiarum Holmensis MEMBRO,

PATRONO BENIGNISSIMO,

Nec non

VIRO

Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,

D:no Mag. CAROLO SCHÆFFER,

Sacellano in Cumeâ vigilantissimo,

FAUTORI OPTIMO,

In pignus perpetuae venerationis & gratissimae mentis Dissertationem hanc Vobis, Evergetae Propensissimi, dieatam voluit ac debuit

NOMINUM VESTRORUM

Cultor humilissimus & observantissimus
JOHANNES AVOLIN.

§. XVIII.

Descendamus nunc, quoniam instituti ita postulat ratio, ab excelso honoris templo, ad cuius splendida limina ingentem laborum, molestiarum atque curarum cateryam coatinuo excubare vidi, & ad depressiora nos conferamus loca, eadem mentis trutina, quæ heic obvenire solent, vitæ tam commoda, quam incommoda, quantum ingenii vires ferant, expensuri. Humiles igitur casas, in quibus simplicitatis multa, artium autem & sumptuum nulla sere apparent indicia, subeamus, & hominum ibi degentium conditionem lustremus. Absit vero, ut Lectores nostros, munditiae amantes ad immunda mendicotum mapalia deduceremus; res enim nobis nunc non est cum hominibus, qui cum extrema paupertate quotidie conflictantur, & qui prodigia quasi sunt humanæ misericordie & squaloris. Humilis enim fortis homines illi a nobis dicuntur, qui in amplissima pyramidis illius, quæ civitatem, ut supra diximus, repreäsentat, basi hærent, continuo sed modico labore tantum si- bi acquirere poslunt, quantum ad se & familias sustenandas & sine elegantia vestiendas requiratur: qui superflua nec habent, nec querunt, sed tenui sua sorte contenti sunt, dummodo maxime necessaria non deficiant. Hi porro sunt, qui magnificos titulos & publica munera vel non ambient vel modeste admodum accipiunt, privatam conditionem, eandemque satis mediocrem, honoribus quibuscumque, ultro etiam oblatis, præponentes, atque alia ignorantes stipendia, quam quæ sudoris ac la-

C

boris

boris sunt libamina. Verbo: tenuis fortis homines sunt illi, qui quasi medii navigant inter mendicitatis charybdis & dignitatis scyllam, quique precibus suis id sunt consecuti, quod Rex sapientissimus a Supremo Rege sibi exoptavit; dicens: Nec dives sim, nec pauper, sed fruar operum meorum mercede.

§. XIX.

Quæcunque in globo terraquo obveniunt res, quæ ad nos vitæque nostræ conditionem habent aliquam relationem, ex pleræque duplicem nobis obvertunt adspectum, vel lœtum ac commodum vel tristem ac noxiū: qualem rerum humanarum varietatem excelsi Proceres cum humilis fortis hominibus experiuntur communem. Hi quum nec magnas hereditate sibi relietas habeant opes, nec secunda fortuna in illum ipsos evexit locum, cui amplissimus debetur census, sibi ipsis quasi relinquuntur, & proinde a contumaci terræ gleba, ex asperitate montium & silvarum vel ruditate materiæ exprimere coguntur tenuem ac parabilem victum, ceteraque adeo necessaria, ut sine his vita conservari nequeat. Rigidissimos igitur labores continuo subibant, antelucana non raro erit eorum industria, quæ non semper cessat cum occidente hespero: longinqua etiam & saepe periculi plena suscipient itinera, ut suas merces cum aliis necessariis in urbibus commutent, atque ut paucis præcidam: nullum fere ipsis est otium nisi in concatenata negotiorum varietate. Hoc confirmat multiplex experientia; nihilo tamen minus Oratores & Poëtæ gratis adeo coloribus vitam tenuioris fortis hominum, præcipue agricolarum & Pastorum adumbrant, ut conditio horum fere invidenda ac Superum felicitati proxima videatur. Prodeunt etiam in scenam pastores & horum uxores adeo exorrectis & a cu-

a curarum mole vacuis faciebus, atque eleganter adeo vestiti, ut ipsa fortuna beatores appareant. Enimvero longe alia in theatro luditur scena, quam in horridis silvis & fumosis tesquis agitur vita. Credamus in hoc negotio, uti par est, experto Patriarchæ Jacobo, qui tenuera suam conditionem pastoritiam non fucatis, sed veris his delineat coloribus: Interdiu consumsit me aestus, noctu autem præ gelu rigebam, profugitque somnus meus ab oculis meis. Immo licet Pastorum conditionem, ceu felicissimam, tantum non omnes prædicent, pauci tamen eandem, quæ sponte sua se offert, eligunt; luculento argumento, quod alia sentiant homines, & alia aliis commendent, quodque non tam rura ament, quam potius urbanitatem in rure: Præterea cum tenuioris fortis homines non sufficient ipsi singulis negotiis rite administrandis, alios in auxilium conducere necessum habent, sed quorum societas, quantum labores minuit, tantum curarum molem plerumque auget, adeo ut herus & heera, servis & ancillis illum victum non raro propinare cogantur, quo ipsi, si modo laetior eslet eorum sors, libenter fruerentur. Exulat igitur ab humilibus casis commoditas vitæ a plerisque tantopere desiderata, una camera, eademque sœpe angusta, pluribus contra aëris tempestatumque injurias defendendis, unusque focus tam ad calorem, quam ad lucem pluribus sufficiet. Parce igitur & quasi guttatum hominibus humili loco positis accedunt bona quædam, ita quidem, ut hæc non tam fortunæ munera, quam potius naturalia quædam indefessi & sollertia laboris stipendia esse videantur.

§. XX.

Præterea tenuioris fortis homines ita plerumque a reliquis civibus suis negliguntur, ut isthæc socordia parum omnino a contemtu differat. Imperitum enim vul-

gus omnia æstimat a modo, quo ipsius oculorum acies vel magis vel minus perstringitur, & quum nihil admiratione dignum in hominum modo memoratorum externa forma inveniat, nec vestium nitorem nec alia quædam ornamenta cernat, facile sibi persuadet, tales a propria fortuna destitutum, meritis carere & proinde jure contemni posse. Sæpissime enim veneratio exhibetur non tam personæ adoratæ, quam potius munera dignitati, aut tunicae eleganti, quam gestat. Quamvis igitur homines, ignobili loco positi, meritis ac virtutibus superent interdum eos, quos temeritas potius, quam prudenter ad honorum culmina evexit, non raro tamen cum infima & malesana plebe confunduntur: si quid ex justissima etiam causa petant, saepius cum ignominia & sarcasmo tam a Dominis, quam a servis repelluntur, saltim negotia, illorum salutem concernentia, diu differuntur, quasi hominum tenuiorum res essent tenues & nullius fere momenti. Modestiores etiam sunt illi, quam ut suis querelis cuiquam molesti esse velint, cujus mansuetudinis malam hanc sæpe referunt gratiam, ut tamquam somnolenti & rerum suarum incurii habeantur ab ardelionibus, qui nihil non æquum ac licitum censem, quod ipsos ad desideratum portum dederit, nec a mediis, quæ adhibuerunt, sed a negotii exitu, suam æstimari volunt virtutem. Atque ita inferiorum fors per se dura, aliorum fastidiosorum contemtu redditur adhuc deterior; quum idonei tantummodo videantur, in quos impune illudat protervia.

§. XXI.

Quod si tenuioris sortis homines ultra depresso natalitorum horizontem capita sua extollere tentent, quo asperitatem conditionis suæ honesta quadam ratione aliquando mitigent, tot suo studio in arduo hocce stadio objici

objici impedimenta plerique experiuntur, quot eluctan-
dis vix unus ex multis sufficiat. Ipsum emergendi pro-
positum, ubi comparuerit, temerariæ ambitionis titulo
mox insignitur & parum abest, quin dignum censeatur,
quod convenienti poena tempestive coerceatur, causlan-
tes nihil asperius humili cum surgit in altum. Obscuros
natales eisdem objiciunt æmuli, pæne ignorantes, quod
limum omnes habeant auctorem. Nomen ipsum, quum
horridi quid solet, opportunam præbet occasionem ex-
hibilandi virum, speciosa Majorum aut Parentum optime
meritorum gloria non circumdatum. Huic nisi benigni-
or calus Patronum quandam conciliaverit, sed in pala-
tiis Maecenatem queret, cuius commendatione innotesce-
re possit, spe sua sæpe excidit: probet enim huic sollici-
te sua obsequia, suam fidem, peritiam atque industriam,
parum tamen proficiet: quum enim Heros iste nobilio-
rum clientum corona dudum cingatur, quorum curam
vel sponte in se suscepit, vel propter necessitudinem, a-
amicitiam aut sperata bona suscipere coactus fuit, non
vacat ignobilis viri officia astimare, cui velut in præmi-
um arrogans hoc subministratur consilium, ut intra su-
am fortunam in sua Rhodo maneat. Quod si cliens hic
nihilominus propositi, quod virtus, non vana alit ambi-
tio, tenax maneat, nec contumelias ipsum frangant, sed
adeo erigant, ut fortunam suam patientia vincere con-
etur, multa indigna sæpe perferet, audiet virtutes suas a-
tro vitiorum carbone passim notari, & de suis meritis
ita detrahi, ut parum absit, quin flagitiorum speciem ha-
beant. Recte igitur cecinit Poëta: *Haud facile emergunt,*
quorum virtutibus obstat - - - Res angusta domi.

§. XXII.

Vidimus hactenus nonnulla incommoda, quæ humili-
lem adfigunt fortem, quorum gravitatem is optime ex-
perie-

perietur, quem sors in tenuem detrusit conditionem; gravissimum autem censetur, quod in hominibus, quibus illud contigit vitae genus, raro inveniatur illa humana-
nitas & ea morum facilitas, quæ vitam nostram, per se
satis molestam, reddit nobis aliisque gratam & jucundam.
Quum enim tales parum aut nihil fortunæ debeant, sed
ab ipsa natura, quæ ad victum & amictum sunt necessaria
quasi extorquere cogantur, dura admodum hac vita-
ratione & convetudine veluti rigescunt eorum animi,
adeo ut aliorum seu secunda seu adversa fortuna vix
moveantur. Sibi ipsis ferme a nativitate relictæ, sibi i-
psis potissimum per reliquam ætatem vivunt: quæ supra
& extra se sunt, ad se non pertinere existimantes. So-
cialitatem, illam generis humani compagem, vix nomi-
ne tenus norunt, & si quando hanc colant, proprium
magis spectant lucrum, quam vel corporis a laboribus
fatigati recreationem vel animi, curis langvidi, relaxatio-
nem inde percipiendam. Et quum tenuis eorum condi-
tio vix permittat, aliis desiderata exhibere officia, pauci
quoque illorum experiuntur sinceram illam, ambrosiæ ac
nectari æquiparandam voluptatem, qua affatim fruuntur
ingenui virtutum ac scientiarum alumni, quoties in me-
moriā sibi revocant vel alios a se ab imminentibus
periculis dextre servatos, vel præter meritum oppressos
ab interitu opportune vindicatos, vel dignos viros, sed
cum adversa fortuna ancipiti colluctantes pugna, ad me-
liorem sortem promotos.

§. XXIII.

Tot autem tantaque humilis conditionis incommo-
da, quot quantaque expendimus, magnis adeo pensantur
commodis, ut dubium omnino sit, utra horum præva-
leant. Ubi enim deliciis devota gens non cernit nisi ma-
lorum spicas, ibi æqui rerum æstimatores largam vero-
rum

rum fructuum messem inveniunt. Verum quidem est, quod tenuioris fortis homines multum laborare necessum habent, ut victum & amictum sibi comparent; ita tamen fors eorum non redditur deterior. DEUS enim Optimus non ea conditione in theatrum hujus mundi nos produxit, ut decussatis brachiis heic sedentes, aspas columbas per aërem venturas exspectaremus, sed ut laboribus nos exerceremus; quare labor generi nostro adeo est proprius, ut si homines in lätissimo integritatis statu semper permanissent, non quidem a quotidianis laboribus, sed tantum a laborum molestiis immunes fuissent. Omnium quippe infelicissimi sunt illi, qui laborare ne-
 sciant; quippe qui vel morbis, vel ignavia, quæ miseria solet esse genetrix, impediuntur, & tædio, veluti ferrum ferragine consumuntur. Labor autem, qui op-
 portune suscipitur & recte administratur, prodest tam corpori, quam animæ. Ipso enim promovetur digestio alimentorum in ventre, secretio humorum minus idoneorum, nec non fluiditas sanguinis, quibus momentis tanitas partim adfecta restituitur, partim integra conservatur, & corpus evadit aptum muneribus sibi injunctis solleter & impigre peragendis. Anima quoque firma & commodo gaudens hospitio, blande influit in corporis operationes, æque negotiosa in optimis mediis inveniendis, ac corpus in inventis expediendis. Hinc fit, ut molestiae, quæ vitam nostram comitantur, vel præveniantur, vel minus sentiantur. Nec hoc loco erit reticendum, quod labor iste, quo tenuioris fortis homines occupantur, animæ ac corpori adeo difficilis non obveniat, ac illa negotia, quibus Proceres sua dispungunt otia. Quum enim ad unum alterumve objectum suam attentionem illi advertant, his autem ingens officiorum series incumbat, facilius omnino est illis suam emetiri planitatem, quam his e suo labyrintho fese expedire. Sed & hoc
 infe-

inferioribus est proficuum, quod labor ipsorum nullum fere ipsis creet tedium; dies enim citius illis elabuntur, quam vel sperarent vel nonnunquam optarent: succedit nox, qua^e altum soporem & gratam quietem fessis præbet membris, & naturalem vigorem, interdiu forte adfectum, liberaliter reparat. Immo ipsa laborandi confuetudine multi eum contrahunt habitum, ut otio sibi oblato vix frui queant, sed diem sibi perisse existiment, quem labore aliquo notabilem non reddiderunt.

§. XXIV.

Laboris justi tantum solummodo, quantum par est, extenuantes incommoda, non nodum in scirpo querimus, sed apparentiarum putamen frangimus, ut veri boni nucleus degustemus. Pervulgatum est proverbium: quod opinione vivamus, & re^{sp}le multi grave & tantum non intolerabile opinantur, quod sua natura tale est minime. Quum sub pauperi tecto nulla ex auro & argento confecta vasa, nec elegantes tabulas, aut pretiolas vestes, nec alia exquisiti luxus instrumenta animadvertisunt fortunæ Filii, hisce spectaculis adiveri, mox aestimant, pauperes, quantum a splendore, tantum erjam a felicitate esse remotos. Quantumvis autem eximia, & forte etiam rara sint isthac decora, pretio tamen possunt comparari, pro quibus in tuguriis hominum tenuioris sortis animadvertisimus alia commoda omni pretio superiora, atque a Proceribus tanto magis invicenda, quanto apud hos parcus reperiantur. Cernimus nimirum homines sanos atque robustos, cernimus numerosam & bene valentem familiam, juventutem masculam & senectutem juventuti fere similem, laboribus non fractam, sed potius corroboratam, adeo ut tempus, edax rerum, parum omnino de senum flore in ipsa ætatis humanæ hieme decerpserit. Hoc tantum
bo-

bonum, præter laborem, suæ debent frugalitati & continentia, quas malorum pessimum existimant voluptuosi, viventes, ut edant; dum contra pauperes edunt, ut vivant; quo modo & victus ipsis est salubris & vita jucunda. Fallunt etjam & falluntur, quotquot credunt, delicias omnes exsulare ab humilibus pauperum mensis. Has enim, qualescunque sint, debemus naturæ, bonæ illi matri, quæ certe iniqua foret, si industriis liberis minus indulgeret, quam ignavis vel fastidiosis nepotibus. Habent igitur tenuioris fortis homines suas etjam delicias, minus quidem frequentes, quam bellaria divitum, sed quo rariores, eo etjam gratiores, non ex utraque India exquisitas, nec artificum ingeniosa industria paratas, sed intra proprios cæspites plerumque collectas, quæ absque multo artis beneficio tenuiorum hominum simplici gustui non minus arrident, quam condimentis insectatæ depravatum opulentiorum titillant palatum, eo tamen præstantiores, quod adfectuum æstum, sicut Palatinæ facere solent deliciae, in detrimentum sanitatis minime suscitent.

§. XXV.

Humanæ sortis, sive excelsa eadem fuerit, sive tenuis, quasi necessariæ appendices esse videntur curæ, quarum tamen illæ, quæ auratis Procerum postibus insident, rebus rite pensatis, longe plures & acutiores esse deprehenduntur, quam quæ pauperum exercent animos. Diriguntur enim præcipua curarum nostrarum momenta vel in nosmet ipsos, vel in familiam, vel in victum & amictum parandum. Primaria nostri cura est, ut conservemur & integrum retineamus sanitatem. Hoc votis etjam expetendum commodum hominibus tenuioris fortis præstat continuus, uti diximus, labor, qui noxios & superfluos humores e corporibus expellens, morborum materiam tollit; præstantior proinde Medicus, *Æsculapius*.

sculapii filiis Taumaturgo & Nosophygo, in obsidione Trojana celebris. Nec liberi pauperum multam curarum materiam suis præbent parentibus, quippe qui tanto plerumque latius adolescent, quanto minus indolenter curantur. Immo postquam illi primas infantiae infirmitates fuerunt eluctati, mox incipiunt progenitoribus suis utiles præstare operas; qui proinde tanto plura ætatis ingravescens solamina, & tanto certiora mitiganda fortis suæ instrumenta habent, quanto numerosior ipsis congerit familia. Secus autem sese res habet cum Proceribus, quibus modica erjam familia innumeris subministrat curas, anicipiti quavis cogitatione ægre dissipandas, numerosa autem ingens a multis putatur infortunium. Nec victus & amictus comparandi ratio multam admodum postulat sollicitudinem; siquidem tenui ac parabili sunt contenti, & quum talem opportune impetrare possunt, cum Jove ipso de felicitate se certare posse existimant. Obscuram futurorum casuum conditionem operosa mentis indagine non lustrant, nedum his præsentem rerum statum anxie attemperant, satis habentes, si impræsentiarum nihil valde desiderent, reliqua a munifico rerum omnium Conditore in silentio & spe exspectantes, qui exspectationem eorum in præteritis angustiis nunquam fecellit. Vana denique, quæ excelsa pectora tantopere torquent, vel ignorant penitus, vel indigna censem, quibus curas & cogitationes impendant. Si terra cum fœnore suum reddat depositum, si arbores uberes proferant fructus, si pecus lac copiosum & foetum valentem fundat, satis se divites, satis felices aestimant.

§. XXVI.

Negliguntur quidem nonnunquam, quod non diffitemur, tenuioris fortis homines ab illis, qui in excelsis honorum gradibus sunt constituti; sed isthæc factura illis, qui sua sese involvunt simplicitate, tantilla obyenit,

ut

ut eandem sua opera suoque studio reparare vix tentent; quin potius nonnulli tenuitate sua contenti, in id potius incumbunt, ut potentioribus magis adhuc, quam hactenus factum sit, fiant ignoti; memores moniti illius Poetæ:

*Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quisque manere suam.*

Sed mira admodum est illa, quæ in theatro hujus mundi luditur scena: pravi enim non solum sui similes, sed etiam ipsos virtutum alumnos, ne ullam vel inclarescendi vel ditescendi occasionem e manibus dimittant, graviter subinde exagitant, oppressosque cogunt ex honestis suis latibulis exire atque in palatiis asyla sibi contra imminentes injurias querere: hi si in turbido hocce statu Patronum quandam forte inveniant, nesciunt qua ratione Servatori suo opera magis & officiis, quam verbis sese gratos praestabunt; sin autem hujus defectu caussâ sua excidant, lapsus ipsis, in plano fortunæ horizontali positâ tam gravis aut molestus non obvenit, ac illis, qui ex opulentia culmine in miseriarum barathrum subito precipitantur.

§. XXVII.

Libertatem, donum auto contra & argento carius, ab immortali DEO mortalibus concessum, veram tenuoris fortis homines, personatam autem Proceres habent majorem. Consistit enim libertas in eo, ut ex pluribus propositis optimum sponte eligamus, atque in actionibus nostris vel suscipiendis vel continuandis, quantum fieri potest, ab aliis parcissime dependeamus. Quamvis igitur Magnates late admodum imperare & simul liberrimi esse videantur; re tamen ipsa non solum a legibus, ut certi cives, sed etiam a minimo Principis nutu ita pendunt, ut eidem contrariari, ne quidem reluctantate ipsorum conscientia audeant. Regum enim amores sunt breves, uti TACITUS loquitur, & tamen eosdem studio

& officio retinebunt, ne amplissima, quam possident, provincia ejiciantur. Contra ea tenuioris sortis hominibus certa quædam præstituta est officiorum palestra, intra quam dum sese contineri patiuntur, actionum suarum quodammodo esse possunt arbitri, saltem dierum atque horarum momentis non ita sunt adstricti, ut propter levem quendam neglectum in censuram aut reprehensionem incurant. Præterea ipsos e placido somno non excitat vel salutantium fremitus vel anhelus cliens, nec illos in longam noctem obsidet amicorum corona, sed quantumvis laboribus sint districti, tempus tamen eis conceditur, quo sui plane juris esse possint. Hujus rei nullum certius est argumentum, quam quod illi, qui in honorum splendore versantur, dum libertate aliquantis perfrui gestiunt, ad opaca rura sese conferant, & in angustis recessibus liberius multo spirent, quam in spatiofis ædibus,

§. XXVIII.

Magna quoque est illa hominum tenuioris sortis prærogativa, quod eximia gaudeant tranquillitate ac securitate. Quum enim ex pravitate hominum naturali enata invidia sit illa furia, quæ vexationum ac persecutionum flabra concitat, potentiores imprimis exagitat, quos si de gradu dejicere valeat, major parata est gloria & insignius lucrum: tenues contra parum digni consentur invidis, in quos perniciosa sua dirigant tela, siquidem aliam quamlibet, quam pauperis fortem quisque sibi & exoptet & adfectet, quare & hic securam admodum degit vitam. Proceres ip hæc vita, tamquam in alto pelago, decumanis saepe fluctibus agitantur, sed tenuioris sortis homines tuto & clauso veluti in portu navigant, non obnoxii tempestatum violentiæ, non veriti gravem bonorum suorum jacturam. Sicut enim ad natandum aptior est ille, qui onere liberior; ita illi ad vivendum omnibus molestiis expediti, nulla alternantis fortunæ exspectatione implicati.

ti. Cum canitur classicum, minime verentur spoliationem: cum conclamantur vase, non quid secum efferant, follique querunt: cum excrescent flumina, nullam metuunt inundationem: cum aut flagrant incendia, aut debacchantur tempestates, aliorum magis quam sua ingemiscunt forte. Ne speciosam magis, quam veram quis existimet isthanc Philosophiam, agedum intueamur vultus tam Procerum, quam tenuioris fortis hominum. Hi fidelius & saevius rident, non prementes altum in pectoribus reposum dolorem. Et si qua corrugatae frontis inhorrescat tempestas, facile illa discutitur, si modicam fortunae stipem colligere ipsis concedatur. Illorum autem ficta plerumque est hilaritas, sollicitudine intermixta tanto graviori, quod sub ipso miseriae onere palam esse miseris non liceat. Non profecto invideres illis externam, qua se se efferunt, pompam, sed horresceres forte, si eos derracta copia nudos, sine mangonii cultus lenocinio adspiceres. Hi porro ab occultis insidiis ac venenis securi sunt, quippe quæ potentioribus parata videntur. Idem quoque valet de injuriis, quandoquidem divites divitibus inimici fiunt ac potentioribus. Inter hos quoque de magnis muneribus obtinendis acerrima esse solet contentio, quare tales in majoribus etiam & frequentioribus versantur periculis. Proceres ex illis, qui gradu sibi aut æquales aut proximi sunt, quosdam destinant, quos periculis objiciant, non cerdonem aut fabrum.

§. XXIX.

Ad tenuis fortis commendationem multum quoque facit, quod illa nos deducat ad virtutum culturam, quæ licet ipsa non sit summum hominis bonum, medium tamen ad illud pervenienti est optimum. Procerum filii multis bene vivendi præceptis atque operosis Philosophiæ disciplinis ad bonos mores a sedulis magistris sensimducuntur. Quod hæc verbis ac nervosis argumentis invadet,

det, tenuitas fortis opere ipso cogit, tanto melior temperantia ac modestia magistra, quanto necessitatis imperium est validius hortationum incitamentis. Si neque obsequiamur voluptatibus, blandis illis ac mente fascinantibus sirenibus, neque ludis & conviviis multum impendamus, neque ullum gutturi aut ventri nostro demus gaudium, neque incedimus per hominum ora magnifice, neque efforamur infinitis cupiditatibus, non finit tenuis nostra fors nos hoc facere, quamvis faciendi voluntas forte adeset. Præterea quum impunitatis minorem veniam sibi polliceri queant homines tenuioris fortis, quam potentiores; hinc fit, ut qui virtutis amore juncta sibi munera non præstant, formidine poenæ, quæ legum transgressores manet, intra officiorum suorum orbitam satis valide coercentur. Ira, invidia, timor, tumor, audacia & cetera mentium inquietarum mala in tenui forte, veluti alimentis destituta incendia, facile exspirant: maxima autem scelera, si omnem excutias memoriam, divitiarum edita sunt præsidio.

§. XXX.

De Menippo memoria prodidit HOMERUS, quod veram hominis felicitatem cognoscendi avidus, a pluribus quæliverit, in quo vitæ genere felicitas potissimum inveniretur? Sed quot capita, tot fere diversas audiverit sententias, & certum nuspam obtinuerit responsum. Tandem igitur decrevit fato functos, a præjudiciorum lenociniis immunes, consulere, atque ad inferos descendit, a Tiresia, quoniam & ipse Vates fuerat, percontatus, ubinam & apud quos vitæ tranquillitas ac felicitas inveniretur? Qui quum voce respondere diu negaslet, in aures tandem abituro insurritavit, apud privatos homines optimam vitam & maximam, quæ in isthoc mundo obtinetur, felicitatem reperiri. GYGES quoque, Lydorum Rex, qui se præ ceteris fortunatiorem putavit, Apollinem

nem consuluit, quis suo tempore felix esset? Contempsit Oraculum regias opes & apparatus, atque Aglaum quendam Arcadem, modici ruris cultorem, qui metas agelli sui cupiditate nunquam excesserat, felicem esse respondit. Ita omnino est: felicitatem enim astimamus non illam, quam homines verbis laudant, sed quam ipso ope-
re, dum optio conceditur, probant. Jam vero nemo feliciter vivit, nisi dum tenuioris fortis hominibus similis efficitur, scilicet si cum paucis amicis, si frugaliter vivat, si scientiis & artibus operam dat, si divitias & honores pos-
fideat, tanquam non habeat, & eo animo. Si felicitas est animi voluptas, orta ex ratione percipiente possessionem jucundi, quomodo in continuis turbis & inter quotidianos strepitus felicitatem percipiemus? Principes igitur & imperatores legimus, quoties sincera quadam voluptate frui voluerunt, a culmine splendoris ad obscuros privato-
rum recessus, paucissimis sed probatissimis amicis comi-
tatos, secessisse. In qua quidem sententia, ut alios vene-
rabundo silentio nunc prætereamus, fuit magnus ille SCI-
PIO, qui a reipublicæ pulcherrimis muneribus otium si-
bi sumebat aliquando, & a metu hominum frequentia-
que interdum in gratam solitudinem, tamquam in por-
tum sese recipiebat; ratus, ut prædicare solebat, sapien-
tiæ non indicium, sed initium esse, secum consistere &
sibi vacare.

§. XXXI.

Quod si nunc utramque modo delineatam tabulam tam excelsæ, quam humilis fortis juxta se positam attente contempleremur, facile perspiciemus, utra conditio sit me-
lior habenda. In illa igitur cernimus quendam splendo-
ris fucum inter densam incommodorum umbram; in
hac modicam umbram, pulchros colores non obfuscantem,
sed gratiore reddentem. Illa nobis fistit magnas
& speciosas apparentias, ipso usu sensim imminutas, hæc
toti-

totidem sed simplices exhibet realitates, quibus ab ipsa fruitione accedit pretium. Qui tenuis sunt fortis, solliciti sunt ut acquirant; qui excelsæ, ut comparant & custodiant: Illi optant habere, hi sibi operole carent, ne amittant. Illi vim quandoque, hi autem insidias etiam inter hilaria timent: illis deest tempus ob labores, his ob luxum, inertiam aut amicos. Curis quidem utrique, sed illi brevibus & exilibus premuntur, hi ancipitibus ac continuis consumuntur: Altum honorum culmen concutunt tumultus, adfligunt procellæ ac turbæ. Circumstrepunt enim nos subinde res hominesque, & quum nostra agere videntur negotia, sua vel aliena curant. At in tenui forte grata agimus halcyonia, nemo qui appellat, qui interpellet: liberi heic sumus, si uspiam, a strepitu negotiorum publicorum, a murmure & insidiis auilarum, a salutationibus importunis, a temporis furibus. Immo attollit se magis ad alta animus, quum solutus & sui juris videt serenum cœlum, quam ædium excelsarum carceribus inclusus. Adhæc quæ vitæ simplicitas, qui candor in privatæ vitæ tenui forte. Probitas heic & modestia habitant: heic pudor, heic dulce otium, heic securitas, heic veri nominis libertas habetur. Quæ omnia si quis rite pensaret, ambigere amplius non potest, an tenuis eademque innocua vita excellæ ac turbulentæ sit præferenda. Sed quotquot homines sumus nostros patimur manes: videmus meliora & probamus, sed deteriora sequimur: in plerosque quadrat Macedonum Regis effatum: Vellem Diogenes esse, nisi essem Alexander.

S. D. G.

